CAROLI MARIÆ ROSINII

COMŒDIA

THESAURUS



CAROLI MARIÆ ROSINII

EPISCOPI PUTEOLANI

THESAURUS

COMŒDIA

E MANUSCRIPTIS ERUTA
MENDIS PURGATA METRICIS

PER SALVATOREM PISANUM-VERDINUM

REGIÆ ACADEMIÆ
ARCHÆOLOGIÆ LITTERARUM ET PULCHRARUM ARTIUM SOCIUM ORDINARIUM
S. THEOLOGIÆ ET PHILOSOPHIÆ DOCTOREM
ETC. ETC.

NEAPOLI
TYPIS FIBRENIANIS
MDCCCLXXI

PERSONÆ

Trophonius Puteolanus.
Geta Trophonii servus.
Claudius Prochytensis.
Pollio Claudii comes.
Lucipor Claudii servus.
Menedemus.
Praefectus Vigilum.

PROLOGUS*

Ut res bene vortant, spectatores optumi,
Vobis, atque gregi, qui placere nititur,
Precor ego Prologus, et argumentum innuam.
A patre Ægypti commorante litteras
Accepit aegyptiace scriptas Claudius
Natus, et una bis mille nummos aureos:
Legendi ignarus Puteolis Trophonium
(Excultum litteris quidem, at vaferrimum)
Convenit, et parentis litteras dedit
Legendas, nummosque acceptos monstrat bonus.
Pecuniarum ille appetens commentus est
Thesauri ingentis indicium fieri a patre;
Quem ut effodiat, missas ait pecunias.
Rogatus ut consilio adjutaret suo;
Servi tunc opera, qui modo *Mercurius loquens,*
Modo *Serapis rapiens* factus, sibi vindicat
Aurum, sed alexandrinam mummiam effodit
Illi: in flagranti at deprehensi crimine,
Pompa per urbem deducti, risum cient.
Ridicula res est, date benigni operam gregi.

* Scripsit Salvator Pisanus-Verdinus.

THESAURUS*

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA

TROPHONIUS et GETA.

Domi in atrio.

Troph. Ab Jove [1]) suam quemque auspicari operam, ac diem
Decet: aliter qui faxit, quique uni sibi,
Suisque plus justo confisus viribus,
Inconsultis Diis, adgreditur omnia;
Huic perraro est, ut sua ex sententia,
Feliciterque olim quidquam successerit.
Porro suum cuique, pront mortalium
Alia aliorum sunt studia, esse Jovem reor.
Mercurius mihi meus est, eritque Jupiter:
Huic addidi porro Lavernam conjugem.
Neque id temere nunc a me confictum arbitror:
Si licuit Junonem uxorem Jovi dare,
Quienm dissidia, rixaeque usque, et jurgia
Sient, idque omnis bona credidit antiquitas;
Quidni queam uxorem Mercurio adjungere
Lavernam, quorum utriusque mirifico modo
Eodem conspirant stndia, et consentiunt
Artes? Adeste igitur Laverna, et Mercuri,

* Hanc anno 1807. scripsit clarissimus Rhetorices Seminarii Puteolani antecessor Vincentius Rinaldius: annis autem insequentibus Rosinius, effossa pro thesauro Mummia Alexandrina, magis credibilem, ac ridiculam praestitit.

[1]) Solus, et fere orans.

Adeste propitii mihi usque, et benevoli,
O Numinum omnium par praesentissimum.
Get. Herum, Mecastor [1]), nactus sum mortalium,
Quot quot sunt uspiam, religiosissimum.
Vix illuxit, vide, ut, conversis ad Deos
Oculis, enixe rogitat. Dispeream illico,
Ni quam pro more sibi roget fallaciam.
Troph. Ego vero [2]) prima inde usque ab adolescentia
Me totum vobis, et vestrae fiduciae
Devovi, et tradidi, vestrasque sedulo
Artes addidici, nec celebrandis laudibus
Unquam peperci vestris: vestra plurimo
Et igne, et thure apud me noctu, interdiu
Renidet ara. Adeste ergo, atque hunc mihi diem
Laetum facite, frugisque uberrimum bonae.
Get. Adibo [3]), atque interpellabo, ne serius
Post me venisse accuset, et nates dolet.
Salve, here mi, salute longa, et plurima.
Troph. Id horae? Adspice, quantum viae jam fecerit
Sol, et tu nunc demum appares mihi, furcifer?
Quid, lautius si coenatum, atque largius
Potum dimiserim? Pol! dormires adhuc?
Get. Ego vero jamdiu heic aderam prope ostium;
Sed expectabam, donec obtundere caput
Dis cessares. *Troph.* Quid est hoc obtundere caput [4])?
Get. Dicere volebam [5]), quod mi paulo longior
In orando videris, eandem naeniam
Quasi surdis occentares. *Troph.* Ita ne furcifer [6])?
Ast saepe peregre animo Di sunt, hoc saepius
Inculcandae preces, et ad fastidium
Iterandae, expugnet saltem ut importunitas.
Get. Humanos nae [7]) tu mihi narras hodie Deos,
Qui juxta ac homines non sese sinunt, nisi

[1]) Videt orantem, et secum ait.
[2]) Non videns Getam prosequitur.
[3]) Partim secum, partim cum Trophonio.
[4]) Subiratus inquit.
[5]) Humili voce iram cohibet.
[6]) Ut supra.
[7]) Retundit argumentum Trophonii.

Molestia, et procacia exorarier.
Troph. Nullos equidem, nisi Humanos volo Deos [1],
Qui norint nobis humaniter ignoscere.
Get. Aliorsum torques verba: verum theologûm est
Loqui de Dis. Ad rem tu, quae tua interest,
Et mea quam maxime, mentem vortas, precor.
Troph. Quam narras rem? *Get.* Laetissimam mehercule [2],
Bonique, opinor, ominis: nil laetius,
Ex quo materna alvus te projecit foras,
Tibi auditum autumo unquam. *Troph.* Quam tandem [3]? age
Effare. *Get.* Somnium, sed quale, Dii boni!
Quantumque somnium! *Troph.* Tun' mihi [4], tun' verbero,
Das verba? Aegre me teneo, quin in fustem involem;
Tuisque tempestivius jentaculum
Lumbis repraesentem ex plagis et verbere.
Get. Quam pronus, here mi [5], ruis in iracundiam!
Ausculta sis modo patientius rogo.
Mera quae sunt aliis somnia, haec haud somnia
Sunt mera tibi, qui, quae tua est sagacitas,
Soles Deûm mentem expiscari ex somniis:
Quod si servile somnium hoc uno facis
Nihili, servile quod sit; ori pessulum
Obdam, nec ullum posthac verbum addam amplius:
Tu vero laetandi non improbabilem
Occasionem forsan praetermiseris.
Troph. Vide, ut me ad audiendum accendit hic vafer.
Age audiamus, quae tibi benignior
Bacchus stertenti immiserit deliria.
Get. Non procul aurora aberat, cum visus es mihi
Tu, factus illico piscator jam prope
Lucrinum litus (et tecum ipse aderam simul)
Retia in aquas jacere, eademque postea
Traxisse multis pene rupta piscibus.

[1]) Graviter Trophonius.
[2]) Hilaris, ac festivus Geta.
[3]) Impatiens morae ait.
[4]) Ut supra subiratus.
[5]) Molli sermone iram cohibet, deinde suadet, ut somnio det fidem.

Troph. Nae tu non ambiguum narrasti somnium:
Sed vereor, ne pro somnio fallaciam
Propines mihi docte confictam ex tempore.
Get. Male tergo, male natibus, si fallo, sit meis.
Troph. Quorsum evadat, priusquam Phoebus occidat,
Videbimus. Nunc hinc ad Thermopolium,
Si qui fortassis illuc Thynnus adnatet,
Adibo, ut expiscer. *Get.* Di mentem animi bonam
Juvent, et quidquid moliris, vortant bene.
Troph. Interea tu curata fac sint omnia
Bene, et expolita: pulverem de vestibus
Excute, verre domum, singula ordine suo
Quaeque loco: parva si supellex contigit,
Sit munda saltem: prandium dein appara.
Get. Quod prandium [1]? ah, ah! pisces illos scilicet,
Quos noctu expiscati sumus per somnium?
Troph. Quid ais procax? *Get.* Aio, quod apparem, domi
Prorsum esse nihil, non adipem, non legumina,
Non oleum: exhaustum, et vacuum penus aranea
Diu obsidet. *Troph.* Sunt in foro, si absunt domo.
Get. Sed venduntur, non dono dantur cuilibet.
Troph. Ohe, ne sis molestus, tute videris:
His obde pessulum foribus. *Get.* Factum puta.
Troph. Huc neminem admittas; si quis forsan velit
Me, illinc arcessas protinus [2]. *Get.* Teneo satis.

SCENA SECUNDA

GETA.

Get. Probe [3]! quam facilem herum mihi sors obtulit!
Difficile nil est, quod non sibi facillimum
Videatur. Namque verbo nummos comparat,

[1]) Irridens ait.
[2]) Egreditur domo.
[3]) Festivus et hilaris.

Verbo resolvit nodos, verbo prandia
Instruit, et coenas. Quid faciam? promptum ad manus
Consilium est scilicet: verbosum prandium
Verboso fas est homini concinnarier:
Verba assa, verba fricta, vel appararier
Elixa. Sed multam ego fidem habeo somnio,
Gestitque meus, nescio quid, animus. Interim,
Ne verba fiant verbera, purgemus domum.

SCENA TERTIA

LUCIPOR et GETA.

Domi

Lucip. Heus, heus [1]), o quisquis versaris domi, fores
Reclude. Nemon' audit? rursum fortius
Pultabo januam. Heus, heus? *Get.* Quis pultat fores?
Lucip. Aperi, tum videris, qui sim. *Get.* Vide, ut sera
Mordicus adhaesit: aliquid, puto, rubiginis
Obduxit ferrum. *Luc.* Inunge oleo, aut connitere
Fortius. *Get.* En patuit. *Luc.* Salve. *Get.* Salvus tu quoque
Sies. Quid quaeris, vel quem? *Luc.* Quemdam nomine
Trophonium quaero. Habetne heic? *Get.* Habet, at nunc domi
Non est. *Luc.* Scin', quo abierit? *Get.* Ad Thermopolium
Iturum recta hinc modo se dixit, cum exiit.
Lucip. I, si breve est iter, atque illum arcessas, precor,
Nec parvum feceris, scias pretium viae.
Get. Sed quid opus est quaesito? *Luc.* De re herus meus
Gravissima illum convenire, et colloqui
Volt una quamprimum. *Get.* Sed quod, sodes, tibi
Nomen? *Luc.* Lucipor. *Get.* Hero autem? *Luc.* Claudium vocant.
Get. Unde domo? *Luc.* Prochyte. *Get.* Quanto censu? *Luc.* Maxumo.
Get. Quid quaeso volt loqui? Nos inter servulos

[1]) Fores pultat.

Arcanum est nullum, ut noris. *Luc.* Id novi quidem:
Cur autem ad vos herus veniat, id me latet:
Id unum novi, auro gravem bene sacculum
Huc detulisse. *Get.* Verum ais? Proh Jupiter!
Lucip. Verissimum. *Get.* Auro sacculum gravem! *Luc.* Quidem.
Get. Ludis me. *Luc.* Cur ludam? Ita me omnes Dii juvent.
Get. Adeon' nummatus est vir? *Luc.* Quid mirum tibi?
Negotiatoribus oppleta est insula,
Qui modiis admetiuntur aureos. *Get.* Papae!
Negotiatum forsan huc tuus venit
Herus? *Luc.* Id, inquam, ignoro. Vin' illum arcessere [1])?
Get. Abi, atque huc post horam redito una cum hero.
Lucip. Mox adero: At tu. *Get.* Ne plura, jam factum puta.
Aut fallor, aut pinguis jam adnavit thynnulus.

SCENA QUARTA

TROPHONIUS, MENEDEMUS, et mox GETA.

In Thermopolio.

Troph. Salve, o Menedeme. *Mened.* Di te quoque salvum velint,
Trophoni. *Troph.* Quidnam est, quod nullas accenderis
Adhuc prunas? *Men.* Carbonum summa est caritas:
Notus praeterea flat. Calidior est dies.
Troph. Intelligo: studendum est parsimoniae:
Sic suadent tempora in pejus ruentia
Cottidie. Solitam age nunc sis potiunculam
Cedo. *Men.* Eccam. *Troph.* Amariuscula est; olet fabas.
Mened. Quid tibi nasi? *Troph.* Adde sis pauxillum sacchari.
Mened. Eccum utere. *Troph.* At benignitate abutier
Nolo: cochlear unum mihi sat est: nunc ebibi
Potest: benigne. Qui rumores? qui logi
Circumferuntur? *Men.* Nil novi novissimae

[1]) Impatiens morae inquit.

Habent ephemerides: silere nos jubent.
Troph. Ego vero, fateor, si quid forsitan accidat
Potissimum, nosse id gestio. *Men.* Quidnam novi?
Cantilena vetus est: omnes esuriunt
Ad unum. *Troph.* Utinam falsus fores! At at Getam huc
Advorsum propero video properantem pede:
Non de nihilo est, quod veniat. Di, facite, ut bonum
Adportet nuntium. Quo te, Geta? Quid est,
Quod ex insperato huc adpares? *Get.* Nuntium [1]),
Quam faustum, felicem, et bonum spero fore,
Adporto. *Troph.* Quem [2])? Age, Geta, enarra, effunde, evome.
Get. Oh, ne urgeas [3]): sine me colligere animum prius,
Sudore et frontem perpluentem abstergere.
Troph. Sino: nec dum abstersus sudor? nec dum spiritus
Collectus? *Get.* Sine adhuc dum; mox omnem rem scies,
Troph. Expectabo, donec tibi commodum siet.
Get. Audi, ergo, et scito. Dum purgandis aedibus
Operam navabam egomet. *Troph.* Quid factum est [4])? *Get.* Ordine
Sine me, quaeso, eloqui rem, ut facta est. Cumque aquae
Pauxillum in terram ad comprimendum pulverem
Adspersissem ... *Troph.* Quid tum? *Get.* Quandoquidem sic jubes,
Effundam simul omnia nullo prorsum ordine:
Ut quidque in buccam venerit, sic evomam:
Tute expediveris, tute intellexeris.
Troph. Dum ne eneces longis illis ambagibus,
Eloquere. *Get.* Convenire te, atque colloqui
Tecum quamprimum discupit. *Troph.* Quis? *Get.* Nempe herus.
Troph. Quod illi nomen? *Get.* Hem! de memoria excidit.
In *ius* certe desinebat, syllabae
Primae effluxerunt. *Troph.* Num Antonius, an Iulius,
An Caius?... *Get.* Non, sed Claudius. *Troph.* Verum unde is est?
Get. A Prochyte. *Troph.* Quid me vult? *Get.* Nescio. *Troph.* Quid autumas,
Quod me conventum volt? *Get.* De re inquit maxuma.
Troph. Quis inquit? *Get.* Ejus servus, quem praemiserat

[1]) Hilaris, et magna cum pausa.
[2]) Impatiens morae ait.
[3]) Adhuc cum pausa.
[4]) Abrumpit sermonem.

Scitatum, ut modo dixi, numquid fores domi.
Troph. Nunquam id dixisti. *Get.* Quia tempus non das mihi.
Troph. Nunc quid servo factum est? *Get.* Abivit apud herum.
Troph. Eccur abiit? *Get.* Dum te scilicet arcesserem:
Post horam condixi, ut rediret is cum hero.
Troph. Nunc pol! tenere mihi videor probe omnia.
At at nil subiit de domini expiscarier
Fortunis. *Get.* Imo hercle, hoc primum curae fuit
Praevortier. *Troph.* Quid extudisti? *Get.* Divitem
Quippe esse hominem: Gravem fert auro saeculum:
Nummos metitur modio. *Troph.* Papae! Sed quomodo
Id noris? *Get.* E servo sum doctus omnia.
Troph. Belle quidem habet. *Get.* Hoc est quod dixeram modo
Adferre me felicem, et faustum nuntium.
Troph. Macte, o mi Geta, pro nuncio hoc valde te amo.
Praei, mundam fac inveniat hospes domum.
Mox ipse adero. *Get.* Ne dubites, honor etiam meus
Agitur [1]). *Tr.* Menedeme? *Men.* Adsum. *Tr.* Nostin' Getam hunc meum
Servum? *Men.* Novi hercle. *Troph.* Si quid illum misero
Ad te, quidquid meo rogabit nomine,
Fac des. Cuncta tuis describe rationibus:
Priusquam mensis exeat, ad teruncium
Satis tibi fiet. *Men.* Apage verba istaec. *Troph.* Vale.
Adhuc [2]) dum heic haeres furcifer? *Get.* Verum abieram
Ego, sed mappula exciderat: regredi viam
Retrorsum, ut quaererem, coactus sum, mi here.
Troph. Post januam quaerebas mappulam, o bone?
Get. Si forte.... *Troph.* Si forte aucupares, verbero,
Quae secreto istius auribus committerem.
Get. Minume, minume, per omnes adjuro Deos.
Troph. Nequam, perjure. Proh! Deûm, atque hominum fidem [3])!
Get. Adesto, Menedeme, precor. *Men.* Jam nunc parce sis,
Trophoni: servile ingenium id est omnibus,

1) Abire simulat, sed cum audit ex ore domini suum nomen, sistit secreto, ut forte aucuparet, quae dicat dominus Menedemo.

2) Servum deprehendit adhuc morantem, et acriter arguit.

3) Fuste petit Getam, qui in Thermopolium fugiens Menedemi opem implorat.

Ut cuncta domini facta expiscari velint.
Troph. Effugisti, vafer: te conveniam domi.

SCENA QUINTA

CLAUDIUS et POLLIO.

In via prope Thermopolium.

Claud. Pollio, videsne, aeruscatorum examina
Quanta obsident vias, plateas, compita?
Vix huc alienigena pedem quis intulit,
Crabronum more turmatim undique ingruunt,
Stipemque efflagitant importunissime.
Poll. Id jamdiu considerabam scilicet.
Claud. Ut cuncta sensim adrodit, mutat, deterit
Tempus! ut humanarum rerum convertitur
Facies! Urbs haec, urbs quondam longe gentium
Fama, cultu, atque opibus celebratissima,
Prostrata nunc jacet! Pene omnis obruta
Sua ipsius ruina: nec se attollere
Ad priscam satagit gloriam, nec advenis
Monstrare fracta vasti membra corporis
Pudet. Languent bonae artes; omne intercidit
Commercium, miserum victum, et pauperrimum
Piscatu vix pauci homines quaeritant sibi;
Quique olim, ventis contemptis, et fluctibus,
Ad usque Nili commeabant ostia;
Nunc Bajas, et Baulos pavent praetergredi.
Poll. Hoc ipsum enim vero, Claudi, tacitus modo
Mirabar; nec multa animo volventi meo
Ulla occurrebat causa satis idonea,
Puteoli cur Puteoli non sint amplius.
Mare, aedepol, nunc etiam, ut quondam, proximum
Habent in Mediterranei meditullio
Fere positum. *Claud.* Patet ad Gades via ultimas,

Patet ad aegaeum, et ulteriora littora.
Poll. Multo, quam quondam, facta est navigatio
Tutior, aut expeditior, cum pixis est
Reperta nautica. *Claud.* Vicinarum gentium,
Quae oculos incurrant, et percellant, plurima
Sunt circumquaque exempla. Florent nautica
Cajeta, Prochyte, Surrentum. *Poll.* Stupent tamen
Heic mentes otio, et pigritia perditae:
Nec potis est quispiam unus expergiscier.
Claud. Hoc nimirum illud est, quod fando saepius
Audisse memini: ut crebro commutant aves
Coelum suum pro frigoris, aestusve vicibus;
Haud aliter artes quoque modo migrare huc, modo
Illuc, nec certum habere domicilium uspiam.
Num, quae fuere Athenae, sunt hodie quoque?
Fuit Tyrus, fuit Carthago. *Poll.* En Lucipor.

SCENA SEXTA

LUCIPOR, CLAUDIUS, POLLIO et MENEDEMUS.

In eadem via.

Lucip. Quae me jussisti, jam confeci omnia.
Sed, ut facerem, laborandum, ecastor, mihi
Fuit strenue: ita omnes viae obsitae luto
Sunt, et sordibus. Augiae me stabulum ingredi
Visum est mihi; ut posthac, si quis rogaverit,
Quibus Puteoli abundant rebus, protinus
Duabus ego respondeam. *Poll.* Quibus cedo?
Lucip. Coeno scilicet, et coementis. *Poll.* Vide, obsecro.
Ne tibi sales aliquid creent negotii.
Claud. Heus, Lucipor, non curatum misi vias,
Sed de Trophonio ut peteres: age, quid refers?
Lucip. Non longe ab arce est illi domus; ast non erat
Domi, cum illuc perveni; servum repperi:

Quo isset, quaesivi; illinc ad Thermopolium
Respondit. Cum rogassem, ut ipse arcesseret,
Quod colloqui cum illo de re velles gravi,
Facile hominem exoravi; quare subdidit:
Abi, ac redito post horam huc una cum hero.
An non, quae iussisti, executus sum probe?

Claud. Euge, puer, imperata diligentius
Qui faceret, adhuc, pol! expertus sum neminem.
Hoc, quamdiu vives, mihi ut usque servias,
Operam dabo, et spondeo libens. *Lucip.* Quid si male
Servirem? *Claud.* In pistrinum, vel in crucem darem.

Lucip. O misera vitae ratio! *Claud.* Quid ais, Pollio?
Vin' tu mecum una ire ad Trophonium? *Poll.* Libet.

Claud. Heus tu, postquam nos usque illuc deduxeris,
Redi statim, et cum caupone aliquo conveni
De prandio. *Lucip.* Quale? *Claud.* Satis fore tria autumo;
Pastillos, carnem, frictas et loligines.
Intellextin'? *Lucip.* Teneo. *Claud.* Quod nempe sit satis
Duobus convivis. *Lucip.* Duobus? *Poll.* Quippini?

Lucip. Quippe rationem non belle inieris, mi here:
Tres, ni fallor, erimus convivae, non duo.

Claud. Ita ne? Tun' quoque nobiscum accumbes, verbero?

Lucip. Tecum accumbam, nec ne, id mea non interest:
Jejunem vero, an non, id plurimi interest.

Claud. Non tibi sat est, helluo, si mensae devores
Relliquias? *Lucip.* Num canis ego sum, qui devorem
Relliquias lautae hujusce mensae, ac opiparae?

Claud. Ne obloquere, furcifer [1]), secus tibi brachia
Hoc fuste contundam: quod mandavi tibi,
Tacitus exequere. Neve mutti. Stas adhuc?
Adhuc stas? *Lucip.* Ego vero non vado; nam viae
Lassus sum, fame pereo, genua mihi labant.

Claud. Non vadis, bellua tu procax, mastigia [2])?
Male peream, ni exemplum in te statuam hodie
Ego. *Lucip.* Hui, hui, hui serva sis me, bone [3]).

[1]) Acriter in servum.
[2]) In servum incurrit, et fuste dolat.
[3]) Pollionis opem implorat.

Poll. Iam parce sis, Claudi. *Claud.* Sine me nunc, Pollio [1].
Men. Quid turbarum est hoc? *Claud.* Poenas volo ego sumere
De pessumo mancipio, nullis moribus.
Men. Parcas rogo. *Claud.* Ne intercedas, servus est meus.
Men. Sed aliena in domo huc inferre non licet
Pedem, nisi meo ex arbitratu. *Claud.* Ergo foras
Meum servum extrudas. *Men.* An servu' tuus siet,
Ignoro. *Claud.* Ni tradas, ad Praetorem statim
Adibo. *Men.* Nunc recte inquis, cum mandaverit
Praetor, tradam illico. *Poll.* Iam sine me [2]. Heus, Lucipor,
Ne paveas, accede huc, permitte te mihi.
Lucip. Tuae me committo fidei. *Poll.* Veniam ab hero
Supplex exposce, impetrabis, credas mihi.
Lucip. Peccavi, fateor, here belle et dulcissime [3]:
Nam malesuada fames in nasum conciverat
Bilem misello. Crimen agnosco meum.
Poll. Age, Claudi, ignosce: fidelis est homo, et frugi.
Claud. Age, ignoscam; modo tale id ultra ne patret.
Lucip. Sic spondeo. Sine nunc, tibi manus deosculer.
Claud. Abi, quo mandavi. *Men.* Tibi nunc gratulor
Sodes, cum servum sine vi reciperaveris,
Ignosces mi etiam, spero, si non tibi animo
Obtrectandi, sed ut ira defervesceret,
Intercessi. *Claud.* Peperci jamdiu, bone,
Et grates habeo. Vale. *Men.* Di vos salvos velint.

---

[1]) Non audito Pollione, servum fuste petit, qui in Thermopolium fugit. Hinc Menedemus exit, servique tutelam agit.

[2]) Pollio belle persuadet utrumque.

[3]) Genibus flexis veniam implorat, qua obtenta, manum osculatur.

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA

TROPHONIUS et GETA.

Domi.

Troph. Quid est, Geta, quod claudicas? *Get.* Cum currerem,
Ut quod jussisti, strenue exequerer, per viam
In lapidem impegi grandiusculum, pedem
Qui subvertit; eo nunc mihi dolet acriter.
Viarum curatores, Di vos perduint.
Troph. Cum lapidum ubique locorum jaceant tot strues [1]),
Nae tu fortunatus homo es, qui unum offenderis.
Get. Ut suave est, here mi, ridere alienis malis!
Troph. Mirabar, non ridebam. Tu interim heic sede,
Remittat dum dolor, et quiesce paullulum;
Suos humanum in servos addecet esse herum.
At illud dubito, recte, nec ne somnii,
Quod dormienti objectum est, vigilans memineris:
Nam trahere ad terras tum pisces tibi visus es,
Nunc lapidem traxisti tuo cum incommodo.
Get. Pergin' jocari? *Troph.* Non jocor, sed somnium
Cum re confero. *Get.* Nondum occidit dies: ubi
Occiderit, nec cum re congruerit somnium;
Tum tibi justa erit expostulandi occasio,
An non, tractis retibus, una cum piscibus
Algas, et lapides saepe mixtos vidimus?
Troph. Argutum enimvero hominem, nec facilem capi!
Quid pes? dolet ne adhuc? *Get.* Remisit nonnihil.
Troph. Consurge, et si qua... [2]) Audistin'? Pulsantur fores:
Accurre. Adeste mihi, Laverna, et Mercuri.

[1]) Irridens Trophonius haec loquitur. [2]) Pulsantur fores.

SCENA SECUNDA

GETA, CLAUDIUS, POLLIO et TROPHONIUS.

Domi Trophonii.

Get. En Claudium, qui tecum colloqui cupit.
Cl. et Pol. Salve, o Trophoni. *Troph.* Di vos quoque salvos velint.
Sedete. Quisnam, Claudi, hic est, quem una simul
Huc tecum adduxisti? *Claud.* Popularis hic meus,
Qui a puero junctus est amicitia mihi.
Troph. Quod illi nomen? *Poll.* Pollio. *Troph.* O laetum diem!
Meam qui tales adduxit domum hospites!
A Prochyte ne estis, ut mihi retulit meus
Servus, an aliunde? *Claud.* A Prochyte. *Troph.* Semel illam insulam
Vidi: nil hercle vidi unquam amoenius.
Claud. Tuam putato esse illam, non dico insulam,
Meam sed, quaecumque est, quam illic habeo, domum.
Troph. Urbane facis, et amice: si quando opus erit.
Sed officiorum satis adhuc. Abi hinc, Geta.
Get. Abeo [1]. *Troph.* Quid est, quod me conventum volueras?
Si quidquam possum (possum autem parum admodum),
Tua illud omne causa facturum puta.
Claud. Pridem me docuit fama, quanta in advenas
Tua esset comitas. *Poll.* Idcirco potissimum
Convenit te. *Troph.* Ergo quaecumque tibi erunt opus,
Eloquere. *Claud.* Sponden' mihi fidem et silentium?
Troph. Spondeo, ne dubites. *Claud.* Chremes mihi meus pater,
Qui Brutii natus Prochytensem conjugem
Dein duxit, atque eo fortunas transtulit
Suas omnes, abhinc, ut puto, decennium,
Cum bello, et caede miscerentur omnia,
Duasque in partes esset scissa civitas;

[1]) Recedit Geta.

Turbas vitandi gratia, domesticis
Compositis rebus, noctu aufugit elanculum.
Varios post errores (neque enim necesse est omnia
Persequi) Alexandriae tandem ante hos quatuor
Annos fixit sedem, ut rescivi ex litteris.
Illic mercatori se consortem addidit:
Benigna adrisit sors, belle ut succederent
Cuncta: aucta res brevi, et negotiatio.
Non semel interea missa ad me pecunia:
Nunc oleum, nunc vinum mandavit, ut emerem:
Novissime bis mille misit aureos
Cum epistola. Sed hanc nec ego, nec e meis
Popularibus quisquam omnino potis fuit
Interpretari: aegyptia scriptam puto
Lingua. Hanc ob causam, cum rescissem te probe
Illam callere, epistolam ad te detuli:
Interpreteris, rogo. Non de nihilo, arbitror,
Fuit, quod non sua usus sit lingua: latet
Aliquod fortasse: hoc est, quod me sollicitum habet.
Troph. Ne sis sollicitus. Cedo mihi sis epistolam.
Claud. Eccam [1]). *Troph.* Pecunia, quam tu una cum epistola
A patre modo narrabas missam ad te, domi
Relicta, opinor, abs te, non usque huc fuit
Adlata tecum. *Cl.* Imo hercle illam huc usque attuli,
Ne, si quid heic emendum mandasset pater,
Rursus redeundum esset Prochyten. *Troph.* Scitissime;
Sed cave, ne cauponi concredas cuipiam.
Claud. Non est quod moneas. *Poll.* Nota cauponum fides.
Claud. Quod si quae mandat pater, haec me diutius
Heic immorari jusserint, ego neminem
Praeter te video, cui possim concredere.
Troph. Facis amice, quando sic de me existumas;
Sed quid sit faciendum, vix, lecta epistola,
Fiet palam. *Cla.* Lege ergo sis [2]). *Troph.* Hem! quid lego [3])?

[1]) Educit epistolam.
[2]) Dat epistolam legendam.
[3]) Mirabundus epistolam oculo percurrens ait.

Quas haec ambages, quae loquitur mysteria?
Claud. Quid est, Trophoni? *Poll.* Quae te nam admiratio
Legentem incessit? *Troph.* Magna sunt, quae praedicat
Epistola, atque eadem partim mehercule
Iucunda, partim vero tristia nonnihil.
Claud. Quid audio [1]? Satin' salvus pater? Satin'
Salvae res? *Poll.* Trophoni, nolito, amabo te,
Diutius nos suspensos, atque anxios
Habere. Pro tua in nos benevolentia,
Si grave non est, latine totam epistolam
Eodem vertas, quo exarata est ordine.
Troph. Haec hercle enimvero multo, quam creditis,
Salebrosior opera est, et longior labos.
Nec sum potis id facere, ut par est, ex tempore:
Immane quantum distat ab altero alterum
Loquendi genus. Haud congruunt vocabula,
Hand sibi utriusque linguae stylus, et dictio
Respondent. Super haec non longe est meridies,
Et stomachus a jejunitate mihi latrat:
A prandio, cum cerebrum calet, et mens viget,
Libentius faciam hoc, atque expeditius.
Claud. Ut lubet. *Troph.* At si hospitii vos non pudet mei,
Accumbite heic mecum una, et corpus reficite;
Non deest domi fors, quod satis siet tribus.
Claud. Pro accepto habebimus. Condictum est prandium:
Secunda a prandio huc ad te redibimus,
Vertendi epistolam ut justum sit otium.
Troph. Recte putas. *Cl.* Vale. *Troph.* Valete vos quoque.

SCENA TERTIA

TROPHONIUS et GETA.

Troph. Non thynnulus [2], Geta, sed cete maxumum
Aut jam captum est, aut capiendi certissima

[1]) Claudius, et Pollio tristia quaedam suspicantes haec loquuntur.

[2]) Laetabundus haec secum Trophonius disserit.

Spes est. *Get.* Ego autem [1]) expectabam de prandio
Ut meminisses: prope jam meridies adest:
Jam caligant oculi; sibi prae fame caput
Non constat equidem. *Troph.* Id unum curas scilicet.

Get. Quidni curem, quod curato opus est maxume?

Troph. De prandio, Geta, post modo videbimus,
Quod lautum, Ecastor, fore confido, atque opiparum.
Nunc hesterna quod nocte tibi per somnium
Visum est, hoc opera tota, et totis viribus
Trahendum ad litus rete, et ponendum in vado,
Priusquam cete illud dilabatur foras.

Get. Ast, here mi [2]), mellitissume, qui tantum potest
Trahi cete vacuo, atque inani corpore?

Troph. Mentis, non corporis ad id opus est viribus.
Mente doli, mente fabricantur retia,
Queis homines capiuntur non ita cauti sibi.
Audistin'? *Get.* Teneo. Torque igitur, et excute
Fecundum pectus, quaslibet fallacias
Innecte, dolos instrue, concinna, parturi.
Si quà juvare te potero, faciam lubens;
Dum ne cete illud unus ipse absorbeas.

Troph. Cum poscet usus, tum tu suppetias feres.
Nunc affer huc chartam, et thecam calamariam.

Get. Eccas. Numquid praeterea? *Troph.* Dum scribo, fores
Si quis pulsarit, longe abesse dicito.

Get. Parebo. *Troph.* Tu interim, si qua opera mox tibi
Praestanda in rem praesentem, praestare ut queas,
Dum scribo, stomachum refice aliquantillo cibo.

Get. De prandio, et de coena cum sermo incidit,
Ut diminutiva haec hero placent meo!
Tantillum, aliquantillum, pauxillum, frustulum.

Troph. Abi hinc, et sine me, quod agendum, agere sedulo.
Ad atrium mane, praesto ut sis, si vocem.

Get. Abeo: at quo vires revocem? *Troph.* Pane, et rapulis.

Get. Euge, mi venter, euge pane et rapulis.

[1]) Geta de prandio sollicitus nihili curat verba heri. [2]) Ut supra.

Troph. Laverna mea [1]), mihi Juno, tuque o Mercuri,
Meus Jupiter, adeste ambo vestro mihi
Numine. Vobis ego auctoribus, epistolam
Interpretari me non posse ex tempore
Caussatus sum, illis ut dimissis, commodum
Daretur spatium concinnandae machinae:
Per vos coeptum opus, ad umbilicum adducite.
Opima objicitur praeda, bis mille aurei.
Jampridem mihi si comminiscar debitam
Illam pecuniam, idque in hisce litteris
Perscriptum confirmem; quid fiet postmodo,
Si testes tabulas postularit Claudius?
Non placet hoc commentum: potest falsi argui.
Si mutuo acceptam olim… vix credet puer:
Nunc hoc arridet… non credibilis fabula:
Obstat lex, obstat mos, repugnant tempora.
Siccine [2]), eum mihi vestra opera maxime est opus,
Ambo deseritis me, Laverna et Mercuri?
Ecquid peccavi? ecquid vestra extemplo aruit
Illa illa fallendi vena? Ecquid illico
Praestigiarum exhaustum est promptuarium?
At at pulchrum hercle inventum occurrit tempore;
Convicia plus interdum posse, quam preces,
Usque adeo verum est ipsos etiam apud Deos.
De quodam multis hinc ante annis condito
Thesauro fingam indicium facere epistolam:
Missam pecuniam mentiar, ut scilicet
Ad eruendum illa uteretur filius:
Hoc ubi bonus combiberit Claudius, mihi
Operam dabo demandetur negotium.

Get. Heus [3]), quis fores pultat? nullus domi est herus,
Pergin' pultare? ad pluteum sedet: haud est domi:

[1]) Trophonius, implorata suorum Deorum ope, dolum instruere secum cogitat.

[2]) Ira succensus haec in suos Deos effutit. At postea voti compos factus scelestum illud dicit *Convicia* etc.

[3]) Fores pultantur. Geta in atrio stans, ac panem cum rapulis manducans haec loquitur.

Abi in malam crucem. Proh sancte Jupiter!
Ne rapulum quidem quiete arrodere
Sinunt! omnes tamen rogatum ventitant
Huc, nemo, nemo unus datum. Omnes, qui rogent,
Adsunt: ast dandi verbum pene intercidit:
Quo magis heri mei laudo prudentiam,
Qui, quod dare nolunt, ipse aufert fallaciis.
Troph. Heus tu, Geta. *Get.* Quid? explicit feliciter,
Quod explicandum tibi fuit negotium?
Troph. Scilicet, et ex sententia. *Get.* Licet modo
Insinuare huic negotio de prandio
Verbum aliquod? *Troph.* Nae tu quantus, quantus es, Geta,
Totus gula es, totus venter: necdum tui
A permolendo requierunt dentes satis,
Iterum mens redit ad patinas, iterum hiat gula.
Venator, visa avi, per saxa, per nives
Gravem ducens anhelitum, cibi immemor
Nullum insectandi finem, nisi, capta avi, facit:
Tu, grandi viso thynno, patinas unice
Crepas, et lances? Anne expectas, helluo,
Ut ille sponte in tua desiliat retia?
Nil sine labore multo homini datum est. *Get.* [1]) Ohe
Quanta aggeris, here mi! tu patinas, et dapes,
Nescio, quas narras; ego vix novi rapula,
Quae conciunt magis, quam depellant famem.
Troph. Jam auribus ausculta arrectis, et rem omnem bene.
Get. Ausculto, eloquere. *Troph.* Bis mille aureos pater
Ab Alexandria misit Claudio: addidit
Epistolam, quam interpretandam detulit
Claudius ad me, quod lingua non scripta est sua;
Ego, sententia mutata, ita reddidi,
Thesauro ut de quodam moneret Claudium
Nostra hac olim in vicinia recondito:
Hoc simul audierit Claudius credulus homo,
Rogabit, arbitror, enixe, si quam queam

1) Fastidiens, et esuriens sic respondet domino.

Ad inveniendum praestare operam, hanc ne negem.
Tunc ipse consulendum dicam, quod domi est,
Mercurii antiquum simulacrum, prout saepius
Id a me factum prospere et feliciter.

Get. At nullum novi, quem tute colas hic domi
Loquentem Mercurium. *Troph.* Haec scilicet est fabulae
Pars illa, quam tu agas, necesse est, mi Geta,
Ut illi veniant ad nos bis mille aurei.

Get. Egon' ex Geta Mercurius! miranda aedepol
Metamorphosis! Vereor, ut ex sententia
Succedat. *Troph.* Ne dubites, ne animum despondeas;
Multo est, quam opinaris, facilior fictio:
Mercurii ritu indutus, faciam, ut pareas.
Habebis in capite petasum, virgam in manu,
Alas ad talos, et vultum laetum feres,
Ut Claudium erigas ad spem, et credat tibi
Respondenti. *Get.* At rogatus quid respondeam?

Troph. Istuc ibam. Neque enim, quod refert maxime,
Hoc fugerat me. Quid rogaturus siem
Ipse, et quid in rem respondendum sit tibi,
Haec te docebit chartula [1]); hos mandes velim
Memoriae versus bene: brevissimum est, vide.

Get. Pauca haec? praeterea nil? *Troph.* Nihil. *Get.* Factum puta.

Troph. Ast illud obsecro, caveas, ne rideas.

Get. Ne dubita: tute ipse aeneum arbitrabere
Me subito factum. Sed succedere omnia
Fingamus belle, ac credere Claudium et tibi,
Et mihi, venire etiam ad nos bis mille aureos;
Ad thesaurum cum fuerit ventum, unde erues?

Troph. Non absque Divûm hoc coeptum est facinus numine:
Ipsi, quam minime reris, monstrabunt viam.

Get. Quam doctus [2]), ac fidens mihi herus obtigit! adhuc
Tamen superest, here mi, unum, quod rogem.

Troph. Quid ais? *Get.* Mercurii si partes bene egero,

[1]) Chartulam profert, in qua duo scripti versiculi, quam et porrigit Getae.
[2]) Admirans dicit.

Si mea quid te opera juverit, quid praemii
Feram? *Troph.* Nummorum tertiam cum pileo.
Get. Euge, euge tertiam nummorum, et pileum!
Vel Plutonem agerem, hoc ut referrem praemium.

SCENA QUARTA

CLAUDIUS, POLLIO et LUCIPOR.

In via.

Claud. Aut nullos esse heic aediles escarios,
Aut esse ejusmodi reor, quasi non forent;
Nulla est mensurae, nulla prorsus ponderum
Cura, aut pretii; vendunt omnes, quanti libet;
Duplo majoris certe, quam Neapoli,
Quam Prochyte, cum tamen merces minoris heic,
Quam alibi parentur. *Poll.* Quanti, sodes, prandium
Stetit? *Claud.* Quanti? denariis septemdecim.
Poll. Quid audio! atqui tria tantum apposita, et quidem
Parce admodum, ut obsonaverimus potius famem.
Ego hercle esurio mage nunc, quam ante prandium.
Claud. Adeo ne parvi pendi heic annonarias
Leges! *Poll.* Pingues heic suspicarer aedepol
Costas subinde, ne latrarent, objici
Canibus. *Claud.* Sed annonae qui praesunt, hos satis
Assiduos audio esse, et censu divite.
Poll. Ut ut se res habet, heic male porro vivitur.
Claud. At, Pollio, quota hora est? *Poll.* A meridie
Secunda ferme est. *Claud.* Quid moramur longius?
Fors nos Trophonius exspectat. *Poll.* Recte mones.
Lucip. Here, nauclerus rogat, si quae se occasio
Dederit, abeatne, an te maneat, donec velis?
Claud. Ad portum expectet, volo, donec redivero.
De naulo ipse operam dabo, mecum ne expostulet:
Tu mox sequere nos ad Trophonium. *Lucip.* Lubet.

SCENA QUINTA

GETA et TROPHONIUS.

Domi Trophonii.

Get. Prope est, opinor, Claudius ut veniat. *Troph.* Quota est?
Get. Trientem ferme absumus a condicta. *Troph.* Bene,
Quae jussi discere, edidicistin'? *Get.* Optime.
Troph. Quando igitur jam prope est, ut redeat Claudius,
Concede sis hinc intro nunc in cubiculum:
Ibi Mercurii ritu, uti te edocui modo,
Induere: in capite petasum, tum alas ad pedes,
Virgam et crumenam in manibus habeas: rumina,
Et recole, quae mandasti memoriae, probe.
Get. Hoc pol non minus est curae mihi, quam tibi, mi here.
Troph. Abi ergo; cogita nummos, et pileum.
Aut animo fallor, aut ego rete texui,
Ut, qui cete illud elabi queat foras,
Nullus videam. Si qui fortasse erunt, quibus
Hoc consilii non sat probatur, nil moror:
Quid enim? pari referre par scitissima
Vetus lex: vetus est quoque proverbium:
Cum Care carissa: furto passim vivitur:
Ab imo ad summum omnes et hanc artem optime
Norunt, et strenue exercent: cur non ego?
Sed pultantur fores: hic certe est Claudius.

SCENA SEXTA

CLAUDIUS, POLLIO et TROPHONIUS.

Apud Trophonium.

Claud. Salve sis iterum, Trophoni. *Troph.* Carissimae
Vos quoque salvete animae. *Claud.* Vertisti jam reor,

Epistolam. *Troph.* Versa atque exscripta. Eccam lege [1]).
Claud. Lege sis tu, Pollio, ut si quid fors tristius
Nuntiet, hoc audientem me feriat minus.
Poll. Recte putas: nec gerere amico me piget
Morem. « Salutem multam dicit Claudio
« Pater. Praeter Puteolanae urbis moenia,
« Abhinc annis centum sub terra conditum
« Thesaurum ingentem certo indicio comperi:
« Id, quia redeundi istuc spes, atque animus erat,
« Celavi adhuc omnes. Nunc, quando jam adpetit
« Dies extrema, nec morbi vim avertere
« Spes ulla est reliqua; id te, fili carissime,
« Doceo. Aegyptiace scribo, quod aliena manu
« Uti cogor, jam destitutus viribus.
« Obtulerit fors heic diversantem quempiam
« Aegyptium, explanare qui valeat tibi;
« Corrasi, quod reliquum fuit pecuniae,
« Id ad te mitto, fili, bis mille aureos,
« Ad eruendum ut utaris, si usus siet.
« Tu vive memor mei, fili dulcissime.
« Alexandriae, nonis Januariis.
« Prochyten. *Claud.* Hui [2])! nulla posthac spes erit mihi
Videndi patrem, nullas posthac litteras
Illius exaratas, heu! manu legam?
O tristes litteras! o tristem nuntium!
O me miserum! *Poll.* Quo, Claudi, haec ejulatio?
Quid te, obsecro, quid absentem patrem tuae
Juvant lacrumae? Mortales omnes nascimur:
Non domus heic nobis data, sed diversorium:
Nec mancipio vitam accepimus, at usui.
Troph. Humanitus, Pollio, facit. Sine sis satis
Illum naturae facere id; aequum est, et pium.
Claud. Si quanta sit jactura patrem amittere,
Nosses, Pollio; miserandus nae ego magis tibi

[1]) Porrigit epistolam.
[2]) Audita patris aegra valetudine, miserum in modum lamentatur.

Viderer, quam objurgandus. Tibi, cum esses adhuc
In cunis, mors praeripuit patrem: hoc tu, neque
Quid sit frui praesente, nec quid perdere
Scisti unquam. Levius est hercle non noscere
Bonum, quam noto, et parto misere orbarier.

Poll. At mecum multo est gravius olim actum aedepol.
Cui cum patre omnis res interiit funditus,
Ut vix labore multo vivam duriter;
Tu, patre amisso, multo es factus ditior.

Claud. Quid haec ad patrem? *Poll.* Parvi, intelligo, admodum
Pretii, sed tamen aliquantilli. Certe minus
Fert damnum, si quis unum amittat pallium,
Quam pallium si amittat, et subuculam.

Claud. Ast thesaurum illum, Pollio, qui, amabo te,
Aut divinare, quo olim defossus fuat,
Aut eruere inventum, qui, inquam, simus potis?

Poll. Si id te mordet, Claudi, bono sis fac animo:
Opus belle qui coepit, perficiet quoque:
Aliquem, mecastor, benevolum puto Deum
Nos huc deduxisse ad Trophonium manu.

Claud. Recte putas. Quid ais Trophoni? Num potes
Ad id deferre quidquam operae? si quam potes,
Per quid quid usquam habes tibi carissimum,
Ut conferas, obsecro: neque (sic me ament Dii)
Tuam inremuneratam abire sivero
Operam. Si res succedat ex sententia,
Tolles de thesauro, quantum tumet velis.

Troph. Apage sis verba haec: satis est, qui vivam, domi.
Sed id, quando Deûm non factum est ingratiis,
Quos vobis video benevolos et propitios,
Libenter, quam operam potero, commodavero,
Si tamen addixerit Mercurius. Qui potest
Nam fieri, ut addiscam, quonam sient loco
Nummi defossi, hoc inconsulto numine,
Quod ego domi colo? Usurpavi jam id quidem
A puero, nec fefellit unquam me Deus.

Poll. Pie quidem et prudenter, Trophoni, facis:

Adsit Deus, oro. Consule ergo. *Troph.* Vos quoque
Adsitis consulenti, volo. *Poll.* *Claud.* Lubet quidem.
Troph. Res vestra agitur. *Poll.* Ecquando fiet? *Troph.* Illico.
Obvelato at capite adesse opus est. *Poll.* Ut lubet,
Modo velum praebeas. *Troph.* In promptu est scilicet.
Unus praeterea, aut alter calamum habeat, volo,
Si quod dignetur Deus oraculum dare,
Ne quid mente excidat nobis. *Claud.* Recte autumas:
Huic rei satis est Pollio, cujus manu
Nil est velocius. *Troph.* In scribendo scilicet?
Claud. Mirum, ni dixerim in furando. *Troph.* Apage, apage
Verba isthaec. Sinite ergo, huc quid quid opus est, adferam [1]).
Claud. Quid ais, Pollio? *Poll.* Mira equidem sunt, quae praedicat
Hic homo tanta cum confidentia. *Claud.* Modo
Videbimus. *Troph.* Velo [2]) quisque obnubat caput.
Accipe stylum tu cum tabella, Pollio.
Poll. Cedo. *Troph.* Genuflexi, et ambo arrectis auribus,
Demissisque oculis, non sine reverentia
Adeste. *Claud.* An numen intueri non licet?
Troph. Licet, sed limis oculis, et reverentibus.
Claud. Par est [3]). Tremisco totus. *Poll.* Cor mi palpitat.
Troph. O summi Jovis [4]), o Divûm quidquid uspiam est,
Fidissimus nuntius, o cui nil abditum,
Nil fuit unquam obscurum, o facunde Mercuri,
Primis mihi ab annis, o colende ad ultimam
Senectutem, adfulge jam nostris mentibus
Benigno lumine, atque arcana pandito,
Latetne quis thesaurus in hac vicinia?
Claud. Heu me [5])! Vidistin'? *Poll.* Vidi, sed nihil audii.
Troph. Da trismegiste, precor, indicium: da bone.
Mer. « Dona [6]) Serapis habet, donis placandus et ipse;
« Si large dederis, postmodo dives eris.

[1]) Abit intro.
[2]) Vela refert, et stilum cum tabella; quae dividit. Tum monet, ut genuflexi etc. adsint.
[3]) Timore ac reverentia pressos se indicant.
[4]) Ad Numen loquitur
[5]) Contremit Numen.
[6]) Verba Mercurii cum gravi pausa proferantur, et syllabatim.

Claud. Audisti sodes? *Poll.* Pulchre, cunctas syllabas.
Troph. Macte esto, Mercuri, novis honoribus
Vere trismegistus: grates tibi maximas
Habeo, majores habiturus, dum vixero.
Sine, osculari tibi me genua. Ave et vale [1].
Claud. Proh mirum! *Poll.* Auribus, atque oculis vix credo meis.
O te mortalium, quot quot sunt, omnium,
Trophoni, felicissimum, domi tuae
Et audientem, et respondentem habens Deum!
Troph. Oraculum exscripsisti, Pollio? *Poll.* Ita quidem.
Troph. Cedo sis [2]), hui! hui! Quae litterarum monstra sunt?
Quid adpinxeris heic, nescio. *Poll.* Cum mi manus
Tremisceret, pilique omnes horrescerent,
Non satis habes, si tantum factitaverim?
Verum da mihi tabellam, egomet interpretor.
Troph. Lege sis [3]). *Poll.* Dona Serapis etc.
Troph. Belle quidem: memini: sunt verba ipsissima,
Quae numen fudit. *Claud.* Sed sibi quidnam velint,
Non intelligo. *Poll.* Trophonii munus id erit,
Cui familiare est colloqui cum Numine.
Troph. Sine colligam me tantisper [4])... Belle omnia.
Claud. Piscatus es sententiam? *Troph.* Tenui quidem.
Claud. Pande igitur. *Troph.* En: DONA SERAPIS HABET, videlicet:
Thesaurus ad Serapidis heic in proxumo
Situs est. DONIS PLACANDUS ET IPSE scilicet
Nummorum vis prius danda est Serapidi;
Nam SI LARGE DEDERIS, DIVES ERIS POSTMODO.
Poll. Rectissume. *Claud.* Quam magnus, Trophoni, vir es [5])!
Divisque quam gratissimus! Sine, osculer
Tibi manus. *Troph.* Grates habeto Numini:
Vide nunc, quam bene tibi consuluit pater,
Qui etiam nummos ad eruendum miserit.

1) Mercurii genua reverenter osculatur, caput inclinat, et abit.
2) Tabulam manu capiens, quae metu pressus scripserat Pollio, miratur.
3) Legit tabellam.
4) Paulisper meditatur, tum oraculum explicat.
5) Mirabundus haec ait. Tum manum Trophonio osculatur.

Claud. Pater [1]), oh! pater mi, quid nunc me nummi juvant,
Absente te? *Poll.* Quid nunc juvant te lacrumae?
Nonne satius nunc est morem gerere patri?
Troph. Probe monet. Da nunc ergo operam huic rei:
Post debitum persolves officium patri.
Claud. Quantum ergo nummorum offerendum a me putas
Serapidi? *Troph.* Isthoc latet, arbitrio face tuo.
Unum sed moneo: hinc omnis absit parcitas;
Nam quo plus dederis, plus certe auferes; puto
Id, ni fallor, monuit oraculum. *Poll.* Putat
Recte. *Claud.* Suades ergo omnes bis mille aureos
Offerre Numini? *Troph.* Ego quidem nil suadeo:
Fortasse pater id monuit, qui tibi miserit
Pecuniam. Fac pro tua prudentia:
Tua isthoc interest. *Claud.* Ergo faciam, ut mones,
En sacculum cum nummis; hinc decem modo,
Si quid forte impenso est opus, sumam mihi,
Reliquum omne tibi credo, Trophoni. *Troph.* Parce sis,
Claudi, aliena penes me ne sit pecunia.
Tute, precor, habeas, tute Numini offeras,
Tuismet manibus. *Claud.* Nimium cautus es, bone.
Troph. Sic usurpavi a puero. *Poll.* Pol! Quantus vir est!
Claud. Saltem ne deseras, precor, mage cum est opus.
Troph. Ut te nunc deseram? Apage verbo hujusmodi:
Tuus sum. *Claud.* Dic ergo, quid faciendum siet?
Troph. Quando sol occidit, primam post vigiliam
Noctis, tacite ad Serapidis ambo accedite,
Nummosque vobiscum adferte. Illic ego simul
Adero: ligonem, et quidquid ad eruendum opus est,
Apportabo, ut res succedat feliciter.
Claud. O amicorum optime, quas tibi reddam gratias?
Troph. Nil te mihi debere autumo, quin ego tibi:
Nam de alienis fortunis laetari, lucro
Appono. *Claud.* Immo quidquid sors mihi concesserit,
Tuum erit id totum: mihi dabis, quantum voles:

[1]) Lugens ait.

Tibi acceptum referam. *Troph.* Numquam id fiet, bone.
Fruere, quae tibi sors obtulit merito tuo.
Poll. Quam bonus est! *Troph.* Vel fallunt aures [1]), vel nescio,
Quis pultat. *Claud.* Lucipor fortasse adest meus.
Poll. Is est, eccum. *Claud.* Ubi, malum, moratus tamdiu?
In cauponam aliquam te conjecisti, arbitror.
Lucip. Quam narras cauponam? Has mihi fecit moras
Nauclerus, quicum longum certamen fuit,
Ut expectaret; sed nullis pervincere
Obfirmatum animum potui conditionibus.
Claud. Hunc ego... [2]) Trophoni, ad condictam illuc venero.
Troph. Valete: uterque vestrum ori obdat pessulum:
Unum silentium rem potis absolvere.
Claud. Di linguam eradicent mihi. *Poll.* Si quid muttiat [3]).

---

1) Fores pultantur.
2) Minitabundus sermonem abrumpit.
3) Abeunt.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA

GETA et TROPHONIUS.

Domi.

Get. Nummorum tertiam cum pileo [1]). *Troph.* Io, Geta [2]),
Io: non verisimilius agi fabula
Poterat. *Get.* At quanti stetit id! Pene ruperat
Distenta compressus risus praecordia.
Troph. Nil pol! verebar magis. Hoc cavi sedulo,
Ut ne in oculos tuos incurrerent mei.
Get. Quin illuc potius, unde modo divertimus,
Revertamur? *Troph.* Quo? *Get.* Ad nummos nempe, et pileum.
Troph. Ne dubites. Haud pol! ego meam ut hodie fidem
Desideres, faciam: sed sine veniant prius
Nummi. *Get.* Quid audio [3])? An non venerunt adhuc?
Troph. Non: deponere apud me volebat Claudius,
Illos ego vero contrectare nolui.
Get. Eccur? *Troph.* Ut validius meam abstinentiam
Probarem illi. Suismet sine pecuniam
Manibus Deo offerat: mox cum avolaverint;
Non mihi, sed sibi damnum, vel potius Numini,
Acceptum feret. *Get.* Ut cautus et sapiens vir es!
Verum dic, quo pacto avolabunt aurei?
Troph. Id curandum [4]), ut recte claudatur fabula.
Tene igitur. *Get.* Ausculto. *Troph.* Mox ad Serapidis,
Ut condixi, bonus ille cum pecunia
Adveniet: praecipiam, ut in ara Numinis

[1]) Laetabundus Geta inquit.
[2]) Gratulatur Getae Trophonius.
[3]) Stupet Geta.
[4]) Gravitate maxima loquatur.

Deponat; tum ipse mecum procumbens humi
Exoret Numen, acripere ne respuat
Donum. Tum tu Serapis factus illico
Gravem crumenam gipsata auferes manu,
Et disparebis, ego procurabo reliqua.

Get. Nunc e Mercurio fiam Serapis iterum?

Troph. Quid ni? meatus est facillimus, modo
Barbam adsumas, capiti et modium vice petasi
Imponas; evadis Serapis illico.

Get. Quo pacto tunc dispaream, haud intelligo.

Troph. O quam tardus es! Illinc aufugies, et domum
Te recipies cum nummis. Ille autem a Deo
Sublatos censebit, Deoque gratias
Habebit maxumas rapienti Numini.

Get. Quid fiet autem, cum thesaurus in aërem
Abibit? *Troph.* Falleris, Geta, quam nobilem
Thesaurum faciam mox defodiat Claudius!

Get. Quo pacto id ais, cum tibi nummus non suppetat?

Troph. Hoc nempe pacto. Alexandrinam mummiam,
Quae a mercatore deposita est nuper domi,
Hanc inter rudera deponemus clanculum:
An non thesaurus is est penes Aegyptios?

Get. Hui ridiculum [1])! Quid autem fiet Claudio?

Troph. Hanc Claudius [2]) quum, me juvante, effoderit,
Sua delusus spe ejulabit, autumo;
Sed se, sed patrem culpabit, vel Numina,
Quae se deluserint. Mihi sane obloqui
Haud quaquam poterit, qui rogatus opem tuli;
Nec illius quidquam attigi pecuniae.

Get. Macte, here mi [3]), pro tua sapientia, dolum
Invenisti, unde nequeat extricarier
Bonus ille vir. Praesto sum ego tibi, stes modo
Promissis. *Troph.* Ne dubites, promissa implevero.
Agenda nunc, ad opus quae multa conferant.

[1]) Cum risu Geta excipit dicta.
[2]) Gravis Trophonius ait.
[3]) Plaudit Geta.

Laetabimur. *Get.* Age. *Troph.* Capsulam cum mummia
Succolles prius. *Get.* O quam gravis est! Proh Jupiter!
Quantum hodie thesaurum aucupabit Claudius!
Troph. Et hunc sume ligonem. *Get.* Oh nimio plus me aggravas!
Troph. Utere pro baculo. *Get.* Fiet. *Troph.* Reliquum ego deferam
Ornatum hoc sub pallio. Eamus. *Get.* Bono omine.
Troph. Tu praeeas: ostio clauso, te consequar [1]).

SCENA SECUNDA

POLLIO, CLAUDIUS et LUCIPOR.

Cum laterna in via.

Poll. En templum adcedimus: servum admittere minus
Oportet. *Claud.* Bene mones. Mane heic tu, Lucipor,
Cedo sis mihi laternam. Nos huc in proxumum
Divertimus parumper; tu vero redi
Ad cauponam: fac instructa illic omnia
Sint ad coenam, et cubile: vade protinus:
Horae momento nos illuc redibimus.
Lucip. Quid ais, here mi? Quonam pergam sine lumine?
Difficiles per vias coementis obsitas,
Et coeno? Nonne satius est, tecum ut simul
Eam, et redeam? Non magnum sane temporis
Compendium facies ad coenam, si prius
Abeam. *Claud.* Rursum obloqueris mihi? *Poll.* I nunc, Lucipor,
Ne paveas: pedetentim brevem absolves viam.
Lucip. Parebo. *Claud.* Recta illuc pergito. *Lucip.* Rectissima *(Abit).*

[1]) Procedunt hoc ordine: Geta cum capsula imposita capiti, et ligonem manu tenens pro baculo: Trophonius cum pallio, sub quo instrumenta quaedam defert.

SCENA TERTIA

LUCIPOR et PRAEFECTUS VIGILUM.

Lucip. Quid hoc negotii sit, non intelligo.
Herus noctu hosce in anfractus incognitos
Se insinuat una cum comite, et de industria
Me abigit! Peream, ni explorem, quam rem gesserint.
Hem! huc adventant armati homines cum lumine:
Nocturni vigiles profecto hi sunt. Quidnam ago?
Satius esse puto, securus si occurrero [1]).
Praef. Heus tu, siste gradum. *Luc.* Sisto. *Praef.* Quis es? *Lucip.* Homo, ut vides.
Praef. Bipedem melius te diceres. Unde es domo?
Lucip. A Prochyte. *Praef.* A Prochyte! Quid negotii heic habes,
Quod nocturnus circumeas istaec per loca?
Lucip. Nihil negotii habeo, nisi ut hero obsequar.
Praef. Servusne es? *Lucip.* Et meo quidem infortunio.
Praef. Quis tibi herus? *Lucip.* Claudius Chremetis filius
Prochytensis. *Praef.* Ubinam is est? *Lucip.* Id vero nescio.
Praef. Quo pacto nescis? *Lucip.* Hoc pacto: hunc illum modo
Deduxi: tum me rursus ad cauponam
Dimisit: is cum socio, quo isset, nescio.
Praef. Quis illi socius? *Lucip.* Pollio conterraneus.
Praef. Quo se dederunt in viam? *Lucip.* Istac scilicet.
Praef. Huiusmodi negotium minime liquet.
Mane heic tu nobiscum. *Lucip.* Ut lubet. *Praef.* Comprehendite.
Occlude sis lumen: nemo jam muttiat.

[1]) Lucipor fit obviam Praefecto vigilum, apud quem hic sermo oritur.

SCENA QUARTA

PRAEFECTUS VIGILUM, GETA et LUCIPOR.

Praef. Nescio, quis huc adventat. Siste sis gradum.
Get. Quid sistam [1]? Heu, heu me perditum. *Praef.* Dic, quis sies?
Get. Domum festinabam ego. *Praef.* Non id rogo. Potis
Es dicere, qui sies? *Get.* Servus Trophonii.
Praef. Accede sis cum lumine. Hem! larvatus est!
Quid sic tremiscis? *Get.* Tertiana mi febris
Accessit multo cum frigore. *Lucip.* Nempe is Geta est.
Get. Propterea me hisce pannis involvi. Sine
Abire me domum. *Praef.* Eccur tu creta oblitam
Fers faciem? *Get.* Quia modo pede lapsus corrui,
Lutoque faciem conspurcavi. *Praef.* Heu, heu miser!
Heus vos [2] istum excutite bene. Exsere sis manus.
Get. Heu me, perii [3]! *Praef.* Ecquidnam in terram decidit?
Papae! nummorum sacculum [4]! Quin aurei
Omnes. Nae febris est id remedium efficax.
Lucip. Hem! ille est nummorum sacculus, quem detulit
Herus mane! *Praef.* Dic, bone vir, unde sumpseris?
Get. Cum lapsus essem, ut modo dixi, hoc inter pedes
Forte inveni, quod impedimento foret.
Praef. Ita ne? *Get.* Ita me Dii ament. *Lucip.* Dux [5], iste sacculus
Est Claudii heri mei; fortasse illi excidit
In semita. *Get.* Heus, tu Lucipor heic? me nunc juva [6].
Praef. Satis teneo. Ad furtum larvatus tu iveras;
Hic vero agebat excubias? mastigiae,
Scelesti. *Lucip.* Minume minume; illum vidi semel:
Nil cum illo habeo negotii. *Praef.* Teneo satis.

[1]) Geta Serapidis ritu indutus cum sacculo nummorum deprehensus a Praefecto vigilum hunc festivissimum sermonem cum eo facit.
[2]) Ad vigiles.
[3]) Geta nummorum sacculum projicit.
[4]) Vigilum unus excipit.
[5]) Lucipor sacculum agnoscens ducem monet.
[6]) Geta servi opem implorat.

Heus vos arctissima hisce ambobus vincula
Innectite. *Lucip.* Ego quid commerui. *Praef.* Mox videro.
Get. Hui, hui, hui!... innocens ego sum. *Praef.* Persuadeor.
Dic ergo, quis tibi hos nummos tradidit? *Get.* Heu, heu!
Praef. Ne plora, responde: si verum dixeris,
Fortasse impune abibis. *Get.* Herus mihi meus
Hos mandavit nummos, ut deferrem domum.
Praef. Cuinam surripuit? *Get.* Minume, minume surpuit;
Sed Claudius sponte obtulit Serapidi.
Praef. Serapidi? *Get.* Ita quidem: omnes adjuro Deos.
Praef. Quid herus tuus commune cum Serapide
Habet? Num ejus sacerdos est? *Get.* Id nescio.
Praef. Quomodo igitur Serapidi oblati aurei
Ad ejus venerunt manus? Dic planius:
Secus, valde torquebo, mendacissime.
Get. Dicam; sed ignosces mihi, qui parui
Hero? *Praef.* Tibi parcam, si dicas veraciter.
Get. Tene igitur rem omnem. Claudius ille epistolam,
Nescio quam, interpretandam detulit ad herum:
Hic litteras adulteravit, ut puto:
De condito thesauro in hac vicinia
Loqui illam finxit. Accensus tum Claudius
Potinndi desiderio, illum enixe rogat,
Ut sibi operam praestet suam. Is mendacio
Ut sit fides, Mercurium consulendum ait.
Mercurii autem personam imposuit is mihi.
Ego sibi consulenti responsum dedi,
Pront suggesserat: nempe ad Serapidis
Thesaurum grandem olim fuisse conditum.
Quem Numen aucupandum illi concederet,
Qui sponte nummorum obtulisset plurimum.
Lucip. O audax factum! o impium mendacium!
Praef. Tum vero? *Get.* Tum vero persuasit Claudio,
Ut bis mille aureos, acceptos a patre
Cum litteris, offerret hos Serapidi.
Porro Serapidis me exornavit ritu,
Jussitque, ut oblatos nummos a Claudio

Ego Serapis, spectante eodem, sumerem.
Ut jussit, perfeci. Sublatos hinc domum
Ferebam nummos. *Praef.* Oh! Papae! *Get.* Ipse me impulit,
Ut facerem, adegit et promissis, et minis.

Praef. Serapidis nempe haec sunt spolia. *Get.* Scilicet.

Lucip. O fraudis, o mendacii ultorem Deum!

Praef. Dic nunc, ubi est herus? Modo in Serapidis
Liqui, donec totam perageret fabulam.

Praef. Adeamus ergo simul ad templum, ibi videro,
An vera sint, quae narrasti. *Get.* Verissuma.

SCENA ULTIMA

CLAUDIUS, TROPHONIUS, POLLIO, GETA, LUCIPOR CUM PRAEFECTO.

Claud. Ad te, Trophoni, veni non fausto omine.

Troph. Ingratus nunc, Claudi, es, labores qui meos
Sic male rependis. Thesaurum non ego tibi,
Sed pater, atque Dei monstrarunt; nec hercule,
Falsi fuere, quippe quia ditissimum
Invenisti auro contra non carum, et quidem,
In Aegyptum si hanc mummiam remiseris,
Duplo rependent auri obrizi pondere.
Sed esto, fac te nunc Dei fefellerint,
Anne in culpa ego sum, qui meam gratis tibi
Opellam commodavi, quam petiveras?

Claud. Minume id ajo, Trophoni; sed meam queror
Fortunam, qui cum patre bis mille amiserim
Nummos. *Poll.* Non pol amisisti, ut Trophonius
Narrat, potius magno dedisti foenori.

Claud. Vacuus interea solido cum cadavere
Domum redibo, ut passim quicumque videat,
Illudat? *Troph.* Si lubet, apud me deponere
Poteris, donec in Aegyptum post remiseris.

6

Claud. Sic fiet. *Troph.* Succollate igitur hanc capsulam.
Poll. Fiet. *Claud.* Malum [1])! quam gravis est illa! *Troph.* Gaudeas.
Duplo plus auri nam inde accipies postmodum.
Praef. Heus vos [2]), sistite gradum. *Troph.* O me nunc ter perditum!
Praef. Quid istuc est, quod bajulatis? *Troph.* Mummiam,
Dux, quam mercator aegyptius exposuerat.
Praef. Id horae mummiam portatis [3])? Loculum humi
Nunc deponite. *Claud. et Poll.* Uti nos jubes [4]). *Praef.* Hem mummia est!
Troph. An me mendacem esse autumas?
Dic ergo, quisnam tu es? *Troph.* Trophonius satis
Hac urbe notus. *Praef.* Teneo. Tu autem? *Claud.* Claudius
A Prochyte. *Praef.* Tu vero? *Poll.* Hujus conterraneus,
Atque comes Pollio. *Praef.* Quid istic negotii
Habes tu cum Trophonio? *Troph.* Mercator is...
Praef. Tace sis tu [5]), non te interrogo, sed Claudium.
Dic ergo, Claudi. *Claud.* Forte fortuna adpuli huc,
Atque in Trophonium incidi, qui me suis
Officiis sibi devinxit. *Praef.* Dic, quaeso, quibus
Officiis? *Troph.* Quippe [6]) cum mercatum venerit...
Praef. Rursus respondes non rogatus? Vin' tibi,
Linguam eradicem funditus, vaferrume?
Sed ne amplius tuis fidas mendaciis,
Neque tu tergiverseris, Claudi: nunc ego
Res aperiam. Huic tu detulisti litteras
In Aegypto datas a patre; fidissimus [7])
Iste interpres de thesauro heic recondito
Indicium fieri dixit, atque oraculo
Loquentis Mercurii monstravit tibi locum,
Ubi esset defossus, nempe ad Serapidis,
Quem vi nummorum a te placandum esse docuit.
Nonne id verum est? *Claud.* Inficiari ultra non queo.
Troph. Heu miserum! actum est de me! *Praef.* Dic ergo tu mihi,
Quantum obtulisti nummorum Serapidi?

[1]) Sic ait gravi pressus pondere.
[2]) Deprehenduntur a vigilibus.
[3]) Facile argumentum Trophonii confutat.
[4]) Loculum humi deponunt.
[5]) Trophonium interpellantem coërcet.
[6]) Trophonius sermonem alio divertit.
[7]) Ironice dictum.

Claud. Duo aureorum millia, demptis vix decem.
Praef. Papae! Thesaurum ergo eruisti protinus?
Claud. Hanc mummiam defodi. *Praef.* Est tibi, quod gratuler,
Dives nunc factus es, sorte et gaude tua.
Claud. Heu amisi duo aureornm millia [1])!
Praef. Ne plora: divinabit nam Trophonius,
Quid factum est illis. Dic, vir sapientissime [2]),
Divina dum, ubi sint illi bis mille aurei.
Troph. Ego vero nescio. *Praef.* Nunc verum praedicas:
Nescis namque tulisse tuum ad me Serapidem:
Atque adeo nunc tibi monstrabo. Adcedite huc [3]):
Nummorum en sacculum, atque en Serapidem,
De coelo delapsum, qui belle sustulit.
Agnoscis, Trophoni? Agnoscis, stultissime
Clandi? *Claud.* Agnosco equidem. Proh Divûm atque hominum fidem!
Ubi sim nescio. Sic nobis illusit nequam!
Lucip. Ereptos Orci nummulos de faucibus!
Praef. Est ne tuus iste servus, Claudi [4])? *Claud.* Scilicet.
Praef. Quas partes agit is in hac comoedia?
Claud. Nullas. *Lucip.* Me semper suspectum tenct, improbis
Pracbet fidem? *Praef.* Hunc ergo vinculis exsolvite [5]),
Divûmque intcrpreti haec injicite arctissima.
Get. An me nou solvis, vera qui narraverim?
Praef. Postmodo solvam: sed prius banc fabulam volo
Repraesentetis universis civibus.
Hunc sacculum Trophonii suspendite
Collo: vos iterum succollate hoc ferculum.
Isto cum ornatu pompam tu claudes, Geta.
Pompa sic instructa, pulcrum spectaculum
Cras hercle civibus praebebitis in foro,
Praecone concinente, plaususque meritos
Adcipietis. *Claud.* Num quid nos miseri meruimus,
Quos sic ludificavit vir mendacissimus?

[1]) Lacrymans ait.
[2]) Ad Trophonium, et irridens.
[3]) Veniunt vigilum unus cum sacculo, et Getas Serapidis ritu indutus.
[4]) Ad Claudium.
[5]) Vincula detrahuntur servo, et injiciuntur Trophonio.

Praef. Vestrae nam debetis poenas dementiae.
Poll. Parce, precamur, nobis tantum ludibrium.
Praef. Non ausculto. Hanc pompam, deducite milites.
Lucip. O pulcram certe pompam, et solemnissimam!
Praef. Vos istis etiam, spectatores optumi,
Vel sibilos, vel plausus pro arbitrio date.

FINIS.